



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Disputatio 3. De Obkecto Materiali, & Formali, Virtutis Pœnitentiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

## DISPUTATIO III.

DE OBJECTO MATERIALI, ET FORMALI  
VIRTUTIS POENITENTIAE.

148. **N**on agimus in praesenti de objecto materiali Poenitentiae, sumpta virtute in tota sua latitudine; diximus enim à num. 20. & 67. omnes virtutes per se infusas voluntatis, utpote habentes objectum formale concomitans gratiam, posse exercere suum munus primum, quamvis nullum peccatum in subiecto praesupponatur, ac proinde posse elicere plures actus, qui neque sint dolor, neque detestatio de peccato commisso: adeoque neque actus poenitentiae theologicae, aut restrictae sumptae. Agimus ergo de eo objecto materiali, & formali, quod habet ille actus virtutis, à quo virtus illius elicitiva, aut imperativa appellatur Poenitentia; sive quod idem est, vocatur poenitentia quae talis. Ceterum cum verus, & rigorosus poenitentiae actus ex intrinseca, & essentiali sua tendentia non solum sit fuga mali, sed etiam, aut semper, aut ferè semper sit amplexio boni: communis enim Theologorum contra Lugo, & Arriagam negat actus pure averfivos; illi autem, qui eos admittunt, fatentur, raro voluntatem pure averfivè se exercere, adeoque ita fugere malum, ut actus fugae à malo sit amplexio oppositi boni: ea de causa Theologi in praesenti quaerunt, quodnam sit objectum formale tum fugae, tum prosecutionis Poenitentiae quae talis.

## SECTIO I.

## Resolvitur controversia.

## §. I.

149. **A**spero primò cum Eximio Doctore quæst. 2. sect. 1. Objectum materiale immediatum poenitentiae quae talis per modum fugae, non solum est peccatum à poenitente commissum, sed etiam lethalia omnia, quae ab illo possunt committi. Probatur primò: Illud est objectum materiale immediatum poenitentiae quae talis per modum fugae, quod immediatè fugere potest poenitentia per illum actum, per quem poenitentia denominatur: atqui poenitentia per talem actum non solum potest immediatè fugere peccatum à poenitente commissum, sed etiam omnia lethalia, quae ab illo possunt committi: ergo &c. Probatur Min. Poenitentia quae talis, ut constat ex dictis à num. 15. & 94. elicit actum, qui est animi dolor, & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero: sed talis actus, ut per se patet, non solum immediatè fugit peccatum à poenitente commissum, sed etiam omnia lethalia, quae ab illo possunt committi, imò si non ita fugeret, non esset sufficiens ad impii justificationem, ut in secunda parte hujus tractatus constabit: ergo &c.

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

150. **C**onfirmatur. Actus poenitentiae quae talis sufficiens ad justificationem impii cum Sacramento, sive sit actus poenitentiae universaliter, & theologice sumptae, sive poenitentiae in restrictione scholastica acceptae, ita fugit offensam lethalem Dei, ut voluntatem peccandi excludat: atqui actus fugiens peccata omnia commissum, simulque excludens voluntatem peccandi lethaler non solum respicit immediatè, tanquam objectum materiale per modum fugae, peccatum à poenitente commissum, sed etiam omnia lethalia, quae ab illo possunt committi: ergo &c. Consequenter, & Min. patet: quia si peccator proponat ex infinitis peccatis mortalibus possibilibus nullum lethale committere præter hoc, evidens est per illum actum non excludere voluntatem peccandi lethaler. Maj. verò probatur: actus poenitentiae theologice sumptae expositus à Tridentino est contritio, sive perfecta, sive imperfecta: atqui ea contritio non solum dolo de peccato commisso, sed etiam excludit voluntatem peccandi lethaler: ergo &c.

151. **P**rob. Min. Si est contritio perfecta, ita est incompossibilis cum voluntate peccandi lethaler, ut sit ultima dispositio ad gratiam, adhuc extra Sacramentum, ut definit Tridentinum. Si verò est contritio imperfecta, seu attritio, non potest esse verus poenitentiae actus ad justificationem impii in Sacramento sufficiens, si hanc voluntatem peccandi non excludat, ut constat ex ipso Tridentino sess. 14. c. 4. dicente: *illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna, & poenarum metu communitè concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, — quamvis sine Sacramento poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat: tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae impetrandum disponit: ergo &c.* Confr. In eo distinguitur actus poenitentiae sufficiens cum Sacramento ad justificationem impii ab aliis, qui possunt elici à poenitente; quod est iste, vel extra, vel saltem intra Sacramentum sufficit ad justificationem, alii autem non ita, sed ad remissionem venialis, aut quid simile, ut suo loco dicemus: atqui licet in hac Providentia possit remitti unum veniale, alio non remisso, non ita evenit in mortali, quod in hac providentia nequie remitti, alio mortali non remisso: ergo licet actus poenitentis circa veniale non debeat esse fuga respectu omnis venialis; actus poenitentiae theologice sumptae circa mortale non remissum debet esse fuga respectu omnis mortalis.

152. **R**espondebis primò cum Dicastillo, non requiri ad actum verum poenitentiae theologice sumptae circa mortale non remissum propositum

GGGG

ad huc

adhuc virtuale non peccandi de cætero, sed sufficere propositum non committendi iterum peccata, de quibus se penitens accusat, aut quæ commisit: ac proinde Penitentiam non respicere tanquam immediatum objectum materiale, aut virtuale peccata, quæ committi possunt. Ratio ejus est, quia ille est verus actus penitentiae theologicæ sumptæ circa mortale non remissum, qui ex Tridentino requiritur ad valorem Sacramenti, licet non sufficiat ad Sacramenti fructum, adeoque maneat Sacramentum validum, & informe, sicuti de Baptismo diximus in suo tract. à n. 24. Ad valorem autem Sacramenti penitentiae sufficit propositum non committendi iterum peccata, de quibus penitens se accusat, aut quæ commisit, licet non sufficiat ad fructum Sacramenti. Cæterum responso ista, & falsa est, & rationem nostram nequaquam dissolvit. Quapropter

#53.

Contra primò: Licet ille actus non haberet pro objecto materiali omnia lethalia, quæ à penitente possunt committi, non repugnat alter actus à penitentia quæ tali elicetus, qui fugiat ea omnia lethalia, sed hoc sufficit, ut ea omnia sint objectum materiale penitentiae per modum fugæ, ut per se patet: ergo &c. Contra secundò: Ut aliquod sit objectum materiale unius Scientiæ non requiritur, quòd attingatur ab omni actu illius Scientiæ quæ talis, sed sufficit, quòd ab aliquo actu illius scientiæ quæ talis attingatur, ut omnibus philosophis, & theologis notum est. Sic ut tres operationes intellectus sint objectum materiale logicæ, non requiritur, quòd per quemcumque actum logicæ attingantur omnes intellectus operationes, sed sat est, quòd per diversos actus logicæ attingantur. Paniter ut Astra sint objectum materiale Astronomiæ non requiritur, quòd per quemcumque illius actum attingantur omnia Astra, sed sat est, quòd circa ea per diversos actus versetur: atqui penitentia quæ talis potest per aliquos suos actus versari circa omnia lethalia, quæ à penitente possunt committi, ea nimirum fugiendo per actus, qui sint dolor de commissis, & propositum nunquam peccandi de cætero: ergo &c.

#54.

Contra tertio. Non peccare de cætero, est nullum peccatum in posterum committere saltem ex illis, quæ impediunt gratiam Sacramenti, de quo ibi Tridentinum agit, ut legenti constabit: atqui quodcumque lethale impediret gratiam Sacramenti: ergo propositum non peccandi de cætero, de quo ibi agit Tridentinum, se debet extendere ad quodcumque lethale. Contra quartò: Ut quis in hoc instanti præsentis dicatur non peccare lethaliter, non sufficit, quòd in hoc instanti vitet unum, aut plura peccata ex his, quæ commisit, sed requiritur, quòd omnia omnino peccata lethalia vitet: etenim si aliquod committat, jam non est verum, quòd non peccat lethaliter in hoc instanti: ergo ut non peccet lethaliter in posterum, requiritur, quòd in posterum nullum lethale committat: sed non peccare lethaliter saltem de cætero est non peccare sal-

tem lethaliter in posterum: ergo &c. Contra quintò: Ut paries in posterum non sit albus, non sufficit, quòd sit privatus hac, vel illa albedine, sed requiritur, quòd nullam albedinem habeat, & sic de millenis aliis exemplis: ergo ut homo proponat non peccare saltem lethaliter de cætero, non sufficit, quòd proponat non peccare in posterum hac, vel illa peccata lethaliter commissa, de quibus se accusat, sed omnino requiritur, quòd proponat nullum peccatum lethale in posterum committere. Ex quibus facile impugnatur aliorum responso, quam iam subieciò.

Respondebis secundò cum Gaspare Hurtado disp. 6. de Penitentia, quem aliqui Recentiores sequuntur, etsi fateantur nostram opinionem in praxi tenendam. Dicunt enim, neque ad valorem, neque ad effectum Sacramenti requiritur propositum, aut virtuale, aut implicitum vitæ omnia mortalia, sed sufficere propositum non reincidendi in commissa, cum carentia propositi actualis peccati. Ratio eorum est, quia penitens tantum tenetur dolere de peccatis commissis, non verò de aliis, quæ non commisit: cum autem propositum solum debeat correspondere dolori, sufficit, quòd se extendat ad peccata commissa, & non ad ea omnia quæ possunt committi; unde talis penitentiae actus non debet habere pro objecto adhuc virtuale omnia lethalia, quæ penitens possit committere. Hæc autem responso, sicuti & præcedens, & est falsa, & rationem nostram non dissolvit. Quapropter

Contra primò: licet non esset necessarium, quòd penitentia quæ talis illum actum eliceret, posset tamen verè, & propriè elicere illum actum, quo fugeret omnia lethalia, quæ à penitente possent committi: sed hoc sufficit, ut respiciat tanquam objectum materiale immediatum per modum fugæ ea omnia lethalia, ut videtur ex n. 153. ergo &c. Contra secundò: quæ responso non bene consonat cum doctrina Trid. exigentis propositum vitæ omnia peccata, quæ Sacramenti gratiam impediunt, ut late dicemus infra; & in secunda parte hujus tractatus quando agemus de actibus penitentis, quæ Christi institutione sunt pars essentialis Sacramenti, & diximus aliquid à n. 154. expedit.

Assero secundò: Peccata venialia sunt etiam objectum materiale immediatum penitentiae, quæ talis per modum fugæ. Probat: peccata venialia participant rationem offensivæ Dei à penitente commissa: etenim non solum sunt contra fervorem charitatis negativè, sicuti impetitiones morales, & purus reatus penæ; sed etiam positivè, quatenus fundant jus ad veniam divinam, etsi levem contra peccatorem: quæ de causa licet purus reatus penæ, aut imperfectio morales non sint materia sufficiens Sacramento penitentiae, peccata venialia sunt materia sufficiens, etsi non necessaria, ut docet Trid. sess. 14. cap. 5. dicens: *Nam venialia, quibus à Dei gratia non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quam*

quamquam recte, & utiliter, citraque omnem  
presumptionem in confessione dicatur, quod pio-  
rum hominum usus demonstrat, taceri tamen  
circa culpam, multisque aliis remediis expiari  
possunt: atqui actus poenitentiae qua talis per  
modum fugae immediatè fugit, quidquid parti-  
cipat rationem offensae Dei commissae à poeni-  
tente: ergo &c. Maj. & Consequen. tenent.  
Minor verò patet, quia actus poenitentiae, qua  
talis, utpotè dolor, & detestatio de peccato  
commissio retractat offensam contra Deum com-  
missam: ergo immediatè fugit, quidquid parti-  
cipat rationem offensae Dei commissae à poeni-  
tente. Ex dictis

258.

Fic primò: peccatum habituale esse objectum  
immediatum poenitentiae qua talis per modum  
fugae: Ratio est, quia est offensam Dei nondum  
deleta, & à poenitente commissam: sed talis of-  
fensa Dei est objectum immediatum poeniten-  
tiae qua talis: ergo &c. Propter eandem ratio-  
nem opus externum constituens unum pecca-  
tum cum interno est objectum poenitentiae, qua  
talis per modum fugae, cum illud concretum  
ex interno, & externo sit vera Dei offensam a-  
vertenda à poenitente, ut dicitur in tractatu De  
peccatis, & in confessione explicanda, ut in se-  
cunda parte dicemus. Imò & peccata, si dari  
possint absque advertentia ad Deum, erunt ob-  
jectum poenitentiae, cum talia verè displicent  
Deo, ejusque offensionem promerentur: ipse  
enim ut creator naturae rationalis, ejusque ca-  
put morale, odio habet ea, quae sunt contra di-  
ctamen rationis naturalis: sicut pater, qui est  
caput filii, odio habet offensas contra filium si-  
ne advertentia ad ipsum patrem. Adverten-  
dum tamen est circa peccatum habituale: id,  
quod istud addit supra actuale, non esse offen-  
sam, sed carentiam destructionis offensae com-  
missae, adeoque secundum illam reduplicatio-  
nem non esse objectum poenitentiae qua talis.  
Quae ratio eodem modo militat pro lethali di-  
missio, quod poenitens committit: si enim con-  
sideretur reduplicando supra rationem remissi,  
non est objectum poenitentiae: bene verò, si con-  
sideretur secundum rationem offensae commis-  
sae: eo namque modo est materia sufficiens Sa-  
cramento poenitentiae, ut constat ex num. 54.  
& dicemus in secunda parte hujus tract. ac pro-  
inde & est objectum immediatum poenitentiae  
qua talis.

259.

Fic secundò: Peccatum Originale non esse  
objectum immediatum poenitentiae qua talis  
per modum fugae. Ratio est, quia peccatum  
originale non est peccatum commissum, sed  
contractum ex pravà alienae voluntatis deter-  
minatione: sed actus poenitentiae, ut constat ex  
Trident. & Florent. citatis num. 2. & 15. est  
dolor, & detestatio de peccato commissio: ergo  
&c. Quae est etiam ratio, propter quam non te-  
nemur dolore de originali, neque tenentur adul-  
ti ad Baptismum accedentes. Confirmatur: de-  
testatio de peccato commissio est retractatio pec-  
cati facti: sed poenitens non potest retractare,

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 14

quod ab ipso factum non fuit: retractatio enim  
cadit supra actum, sive opus previè elicited ab  
eo, à quo postea retractatur (quo comprehendi-  
mus peccatum omissionis, si possibile sit) sic ego  
voluntatem Petri retractare non possum; quod  
etiam evenit in proposito: propositum enim ef-  
ficax, quod Petrus non peccabit de caetero, non  
elicitur à mea voluntate, sed à voluntate Petri,  
ut per se est evidens. Exinde

160.

Fic tertio: peccatum alienum non esse obje-  
ctum materiale poenitentiae qua talis per mo-  
dum fugae. Ratio est, quia peccata aliena non  
sunt peccata à nobis commissam: atqui virtus so-  
lùm denominatur poenitentia ab actu illius ver-  
santer circa peccata à poenitente commissam, ut ex  
Trident. & Florent. diximus num. superiori,  
& constat ex testimoniis scripturae, & SS. PP.  
adductis à num. 16. & ex S. Thom. num. 76.  
in quibus dicitur actum poenitentiae versari cir-  
ca iniquitates à poenitente commissam: ergo &c.  
Quapropter Div. Thom. in 4. distinct. 17. art.  
2. quaest. 2. ait: *Ad primum ergo dicendum  
quod contritio non est de peccato ratione substan-  
tia actus tantum, quod ex hoc non habet ratio-  
nem mali, neque iterum ratione deformitatis  
tantum, quia deformitas de se non dicit ratio-  
nem culpa, sed quandoque importat poenam. De-  
bet autem de peccato esse contritio, in quantum  
importat utramque deformitatem ex actu vo-  
luntatis proveniente, & hoc non est in peccato  
originali, & ideo de eo non est contritio. Et in  
eodem articulo: ad quintam quaestionem dicen-  
dum, quod illud idem contritio, quod prius du-  
rum, & integrum fuit. Unde patet, quod con-  
tritio pro peccato sit in eodem, in quo peccati du-  
ritia praecessit, & sic de alienis peccatis non est  
contritio. Et ibidem ad sextum. Quantum ergo  
ad principium contritionis, oportet, quod sit de  
singulis peccatis, quae quis in memoria habet: sed  
quantum ad terminum, sufficit, quod sit una com-  
munis de omnibus, tunc enim ille motus agit in vi  
omnium dispositionum praecedentium: Unde*

161.

Fic quarto: malum poenae prout contradi-  
stinctum à malo culpa, & offensae Dei, non esse  
objectum aversionis, & poenitentiae, qua talis.  
Ratio est, quia actus poenitentiae, qua talis non  
fugit illud malum poenae: deinde reatus ad ta-  
lem poenam contradistinctus à malo culpa non  
est offensam, ut constat ex S. Thom. citato num.  
superiori: Sic Regulae Religionum obligantes  
sub poena, & non sub culpa, relinquunt in trans-  
gressibus reatum poenae, & non reatum cula-  
pae: reatus enim ad poenam pure talis stare por-  
est inter amicos, nec afferit ullum jus ad aversio-  
nem quantumvis levi amici, sicuti afferit pec-  
carum veniale. Sic quando duo amici ludunt,  
qui perdit in ludo, habet reatum poenae, & tene-  
tur alteri solvere debitum, quin reatus ille asse-  
rat jus ad aversionem, vel minimam amici. Qua-  
de causa dolor de reatu puro poenae non est do-  
lor de peccato commissio, ac proinde non est  
sufficiens ad praestandam denominationem  
poenitentiae virtuti, à qua elicitur. Exinde

Ggg g 4

sum

cum imperfectiones morales solum afferant reatum pœnæ, non sunt objectum immediatum pœnitentiæ, quâ talis. Quapropter licet ab eadem virtute possint elici ejusmodi actus circa imperfectiones, reatum pœnæ, peccatum originale, peccata aliena, & sic de aliis, non erunt actus pœnitentiæ, quâ talis theologicè sumptæ, sed virtutis, quæ per illos actus diversas alias suscipit denominationes, ut ex argumentorum solutione constabit.

## §. II.

162.

**A** Sfero tertio: Objectum materiale immediatum pœnitentiæ, quâ talis per modum prosecutionis sunt ea omnia bona, quæ actus pœnitentiæ ut talis elicere potest ad sui finis consecutionem. Probatum primò: actus pœnitentiæ, quâ talis non solum est dolor, & desistatio de peccatis commissis, sed etiam propositum non committendi peccata de cætero; atqui non committere peccata de cætero sæpius est facere bona: ergo illa bona continentur sub objecto materiali prosecutionis actus pœnitentiæ, quâ talis. Maj. & Conseq. tenent; Min. verò Probatum: in instanti, in quo obligat præceptum amandi Deum, diligendi proximum, parendi superiori, succurrendi indigenti, & sic de aliis, non peccare est elicere actum amoris Dei, dilectionis proximi &c. ergo tunc non committere peccata de cætero est idem, ac facere bona. Conf. omnia bona ut conducentia ad finem sunt objectum materiale prosecutionis virtutis respicientis finem: ergo ea omnia bona conducentia ad finem pœnitentiæ quâ talis, sunt objectum materiale prosecutionis virtutis pœnitentiæ quâ talis.

163.

Prob. 2. Virtus pœnitentiæ, quâ talis, sive generaliter, & absolute, sive in restrictione scholasticâ consideretur, est elicitive actus avertivi à malo, & promotivi boni: ergo sicut habet pro objecto materiali fugæ mala, à quibus avertitur, habet etiam pro objecto materiali prosecutionis ea bona, quæ promover. Conf. pœnitentiâ quâ talis tendit ad odium veteris vitæ, & ad propositum, & inchoationem vitæ novæ: sed hoc est tendere ad fugienda mala, & amplectenda bona conducentia ad finem pœnitentiæ quâ talis: ergo &c. Conseq. tenet, & Min. videtur per se nota. Maj. verò constat ex Trid. sess. 14. cap. 4. de actu pœnitentiæ, sive contritione præscindente à perfecta, & imperfecta ita dicente: *Declarat igitur Sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud, projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis: ergo &c.* Ex dictis

164.

Fit 1. pœnitentiâ universaliter, & theologicè sumptam habere pro objecto materiali immediato ea omnia, ad quæ se extendere potest actus contritionis, quâ talis ab illa virtute elicitus. Sic actus contritionis quâ talis elicitus

à charitate potest peccatum fugere, sicut amare Deum propter se ipsum, sive propter divinam bonitatem, adeoque divina bonitas non solum erit objectum formale, sed etiam objectum materiale per modum prosecutionis illius virtutis pœnitentiæ quâ talis: idemque modo dicendum de aliis virtutibus universalibus voluntatis, ex doctrina tradita à num. 67. Fit 2. pœnitentiâ specialem in restrictione Scholastica acceptam, utpote respicientem objectum pœnitentiæ, à quo denominatur in ratione pœnitentiæ secundum rationem compensationis juris Dei offensi, respicere pro objecto materiali per modum prosecutionis omnes omnium virtutum actus, prout invenit in illa honestate talis compensationis, ex dictis num. 79. & 85. pœnitentiâ enim specialem non fingit eos actus pœnales, & meritorios, sed potius amplectitur ad satisfaciendum pro offensâ, finem eos respiceret non quidem ex motivo satisfactionis, sed ex motivo satisfaciendi pro peccato reatu pœnæ; jam ille actus, cum non esset actus pœnitentiæ, quâ talis ex n. 161. non est actus pœnitentiæ, de qua loquimur. Vide à n. 181.

Assero 4. cum Exim. Doct. disp. 2. sect. 1. num. 2. Objectum formale pœnitentiæ, quâ talis universaliter, & theologicè sumptæ non est unum, & idem pro omnibus pœnitentiæ actibus, sed diversum pro diversitate virtutum potentium elicere talem pœnitentiæ actum. Prob. facile ex dictis à num. 67. Virtutes universales voluntatis potentes elicere virtutum actum pœnitentiæ universaliter, & theologicè sumptæ, aliæ sunt virtutes theologicæ, nimirum spes, & charitas, aliæ vero morales, nimirum obedientia, gratitudo, religio, justitia, & aliæ ex dictis à num. 67. atque objectum formale harum virtutum non est unum, & idem, sed est diversum pro diversitate talium virtutum: ergo actus pœnitentiæ, qui ab illis possunt elici, non reputantur unum, & idem objectum formale, sed diversum pro diversitate talium virtutum.

Assero 5. Objectum formale pœnitentiæ in restrictione Scholastica acceptæ est honestas compensativa divini juris, sive late, sive strictè sumpti. Prob. 1. virtus pœnitentiæ accepta in restrictione Scholastica est illa, quæ operatur ad compensandam offensam Dei per verum pœnitentiæ actum; sed talis virtus habet pro objecto formali honestatem compensativam divini juris, sive late, sive strictè sumpti: ergo &c. Conseq. tenet, & Maj. constat à num. 76. Min. verò Probatum: objectum formale talis virtutis compensativæ tale est, ut ex illo elici possint non solum actus, qui sunt vera actualis pœnitentiâ, ac proinde & supponunt peccatum à pœnitente commissum, sed etiam actus, qui pœnitentiâ non sunt, adeoque non supponunt peccatum commissum: sed talis est honestas compensativa Divini juris, sive late, sive strictè sumpti: ergo &c. Maj. constat à num. 90. Min. Probatum: hujusmodi honestas compensativa

vini juris ex se indifferens est ad compensacionem, vel reparativam, vel preservativam, vel juxta exigentiam, vel juxta juris condignitatem: atqui ex honestate ita indifferente possunt elici actus praesupponentes, & non praesupponentes peccatum, ut per se est evidens, & constat ex n. 124. ergo &c.

167. Prob. 2. Specialis poenitentiae virtus, utpote divini juris compensativa, solum potest habere pro objecto formali, vel jus divinum, vel honestatem compensativam, ut ipsi adversarii, cum quibus disputamus, fatentur: atqui non habet pro objecto formali jus divinum: ergo habet honestatem divini juris compensativam. Prob. Min. divinum jus, utpote identificatum cum ipso Deo consistit in ipsa natura divina, ratione cujus est Dominus, ac proinde est praedicatum divinum: atqui specialis poenitentia virtus non habet pro objecto formali praedicatum divinum; aliter ex dictis a n. 95. esset theologica, & non moralis, contra id, quod ipsi adversarii defendunt: ergo &c.

168. Conf. non minus praerequiritur ad actum obedientiae praevia cognitio praeccepti, aut insinuationis voluntatis superioris, quam ad actum compensativum divini juris praerequiratur cognitio divini juris: atqui objectum formale obedientiae non est voluntas superioris, sed honestas objectiva rei praecceptae: ergo neque objectum formale virtutis compensativae erit jus divinum, sed honestas objectiva compensativa juris divini. Prob. Conseq. Ideo voluntas superioris non est objectum formale obedientiae, bene vero honestas objectiva rei praecceptae, quia objectum formale obedientiae est illa honestas praeccepta, qua adimpletur voluntas superioris; & voluntas superioris neque est praeccepta, neque sui adimpletiva; adimpletur autem per honestatem objectivam rei, qua praecipitur; atqui eadem omnino ratio militat in nostro casu, cum jus divinum non compenletur per se ipsum, sed per honestatem, qua apponitur a compensante: ergo &c. Ex dictis

169. Fit primo: posse poenitentiam exercere suum actum non solum circa peccatum a poenitente commissum, & nondum condonatum, ut patet in veniali, sed etiam circa peccatum habituale, quamvis aliquis per revelationem sciret esse jam condonatum. Ratio communis est; quia dum sumus in statu dolendi, semper possumus dolere, & detestari peccatum; quod contra Deum commissimus, ipsique offerre compensationem ex condignitate divini juris, licet non ex exigentia; quatenus jam tunc illam non exigit jus divinum, quando peccatum est condonatum: peccator enim licet per totam vitam intensissimos virtutum actus exerceret, nunquam posset de condigno satisfacere pro offensa lechali, adeoque quando remittitur, Deus condonat illam, & cedit juri exigentiae. Qua de causa verè dicere potest peccator: peccavi, & non satisfacere pro offensa: ex quo manet ea, qua vocatur condignitas juris ad offerendam majorem semper

compensationem. Quinimò etsi peccator condigne satisfecerit pro veniali, ut multi defendunt ita fieri posse de facto, adhuc potest peccator de facto offerre satisfactionem, quasi superabundantem pro illo, cum dignum sit divinum jus tali compensatione. Sic qui beneficium accepit potest esse gratus, non solum praebendo aequale beneficium, sed etiam superabundans, ut magis hoc modo suam ostendar gratitudinem: ergo etiam poenitentia, praesupposita cognitione juris divini, quod laesit, ut magis ostendar suam de peccato dolorem, etiam remisso jam perfecte peccato quoad omnia, potest offerre Deo majorem; & majorem compensationem. Sicut enim gratitudo non est indivisibilis, sed major, & major esse potest, dum moveatur contritio ab offensa contra Deum commissa. Video in hac communi ratione posse immisceri plures quaestiones de voce, ea de causa aliam universaliorē dabimus num. 183.

Fit secundo: Virtutem poenitentiae qua talem theologice sumptam semper respicere Deum saltem in obliquo. Ratio est, quia semper doler de offensa Dei; sed dolor de offensa Dei necessariò respicit Deum saltem in obliquo: ergo &c. Quapropter poenitentia philosophicè sumpta de qua num. 2. cum indifferens sit, ut contrahatur ad opus factum contra hominem, vel ad offensam contra Deum; etiam est indifferens; ut contrahatur ad poenitentiam particularem theologiam, vel non theologiam. Propter eandem rationem poenitentia grammaticaliter sumpta, de qua eo n. 3. cum indifferens sit, & ad bonam, & ad malam, ad naturalem; & supernam, ad haec omnia membra contrahibilis est. Possibile autem esse habitum poenitentiae naturalem communiter supponitur a Theologis. Ratio est, quia naturaliter cognoscitur peccatum esse difforme rationali, ut constat ex n. 10. ac proinde & capiti naturae rationalis, quod est Deus, adeoque potest voluntas viribus propriis illud detestari per actum poenitentiae, neque hoc excedit ejus vires: atqui ex repetitione talium actuum gignitur habitus facilitans voluntatem ad similes actus eliciendos, in quo stat habitus, seu virtus naturalis poenitentiae ex dictis a num. 3. ergo &c. Haec autem est ratio, propter quam antiqui Philosophi cum Platone lib. 10. de legibus poenitentiae virtutem cognoverunt. Sic etiam Ovidius 1. de Ponto de Diis suis agebat:

*Sapè levam poenas, ereptaq; lumina reddunt;  
Dum bene peccati poenituisse vident.*

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

S. I.

○ Blicies primò contra primam assertionem: Plures sunt actus poenitentiae non se exten-

170.

171.

Ggg g 3

tendentes ad omnia peccata lethalia commissa : ergo non sunt ea omnia objectum materiale immediatum penitentiae per modum fugae. Probatur Antecedens : qui commisit duo peccata, & unius invincibiliter obliviscitur, si eliciat contritionem contra unum propter peculiarem illius peccati turpitudinem, elicit verum actum penitentiae; sed talis actus non se extendit ad omnia lethalia commissa : ergo &c. Respondeo, permitto Anteced. cum sua probatione, & nego Conseq. quia licet illud peccatum non attingatur ab isto, potest attingi ab aliis penitentiae actibus, quod sufficit, ut sit objectum immediatum penitentiae, ex dictis à n. 153. Unde argumentum nullius est roboris. Dixi autem permitto Anteced. quia si sermo sit de penitentia theologice sumpta ad justificationem impii, & ad valorem Sacramenti requisita, est fallum omnino : nam ille dolor se debet extendere ad omnia commissa nondum condonata, ut late dicemus infra, & in 2. parte hujus tract. & constat ex Trid. cit. n. 163. de contritione ad valorem Sacramenti requisita dicente, esse odium vitae antea actae : quod non haberet, si ad ea omnia peccata non se extenderet.

172.

Objicies 2. instando simul solutionem ex doctrina P. Arriagae : Licet penitentia non attingat peccata aliena per omnes suos actus, potest tamen illa attingere per aliquos actus, de eis dolendo, simulque detestando : atqui hoc non obstante peccata aliena non sunt objectum materiale penitentiae ex dictis n. 160. ergo licet per aliquos suos actus possit attingere omnia lethalia, quae à penitente possunt committi, non proinde erunt ea omnia peccata objectum materiale penitentiae. Conf. 1. Penitentia potest fugere per suos actus ea omnia peccata, in quibus militat eadem ratio sui objecti formalis, nimirum offensae contra Deum commissae : sed ista ratio non solum militat in peccatis propriis, sed etiam in alienis : ergo &c. Conf. 2. Circa peccatum originale proprium penitentis, & circa purum reatum poenae potest exercere aliquos suos actus : atqui peccatum originale, & purus reatus poenae non exinde sunt objectum materiale penitentiae : ergo &c.

173.

Resp. dist. Maj. per aliquos actus penitentiae qua talis, nego; per aliquos actus, à quibus non denominatur penitentia, conc. Maj. & distincta Min. nego Conseq. Ratio est, quia nulla virtus denominatur penitentia à quocumque doloris actu, quem potest elicere circa peccata, sed debet esse circa peccata ab ipso penitente commissa, ut constat ex n. 159. Unde dolor circa peccata aliena non est actus penitentiae qua talis, ac proinde peccata aliena non sunt objectum penitentiae qua talis. Sic apud adversarios in Christo, & Deipara non fuit penitentia qua talis, & tamen dolebant valde de peccatis alienis. Hinc ad 1. Conf. dist. Maj. per suos actus, qui omnes sint actus penitentiae qua talis, nego; qui ad hanc, vel ad aliam denominationem diversam pertinent, conc. Maj. & dista

Min. nego Conseq. ut constat ex dictis à n. 159. eodem objecto Justitiae possunt elici plures actus, quin exinde sint omnes restitutio, neque denominentur Justitiam restituentem. Ad 2. Conf. distinctis praemissis ut supra, nego Conseq. quia peccatum originale, non est peccatum commissum, neque purus reatus poenae offensae Dei, ut constat ex dictis à n. 159. ac proinde actus circa talia objecta elicit non sunt actus penitentiae qua talis.

Objicies 3. instando simul solutionem Peccatum originale est commissum ab Adamo tanquam à capite, adeoque inest unicuique proprio, ut definit Trid. sess. 5. in decreto de peccato Originali : ergo possumus illud vere retractare non minus, quam peccata commissa, ac proinde erit immediatum objectum penitentiae qua talis. Prob. Conf. Quando quis per procuratorem inicit contractum aliquem, potest ipse proprie illum retractare : ergo & nos poterimus retractare peccatum commissum ab Adamo tanquam à capite, sive tanquam à procuratore nostro. Conf. Adultus, qui plura commisit peccata, potest, antequam baptizetur, elicere veram contritionem, qua potest, non solum remitti peccata commissa; sed etiam peccatum originale : ergo non solum peccata commissa, sed etiam peccatum originale erit objectum penitentiae qua talis.

Resp. conc. Antec. & nego Conseq. Ad prob. conc. Antec. & nego Conseq. Ratio est, quod circa actum procuratoris habui ego voluntatem actualem propriam, qua saltem dedi ei meam vices, & consensi in illius actionem; circa peccatum vero Adami nullam propriam habui voluntatem actualem, adeoque nullus manet locus propriae retractioni : unde dolendo, & satisfaciendo pro illo, doleo, & satisfacio pro peccato contracto, non vero pro commisso, quod requiritur ad actum, & objectum penitentiae qua talis, ut ex Scripturis, Conciliis, & PP. diximus n. 160. Ad Conf. dist. Antec. potest elicere veram contritionem circa peccata commissa, conc. circa peccatum originale, nego Antec. & Conf. quia posita ea contritione confertur gratia remissiva cujuscumque mortalis tam habitualis, quam originalis : adeoque tunc originalis remitteretur per gratiam obtentam à contritione, non quidem elicita circa ipsum, sed circa peccata commissa. Vide à n. 179.

Objicies quarto contra secundam Allegationem. Si peccata venialia essent objectum materiale penitentiae qua talis, daretur habitus debetivus venialium : sed talis habitus non datur à dictis à n. 90. ergo &c. Resp. conc. Maj. & nego Min. quia in praesenti Providentia omnes habitus per se infusi sunt delevivi venialium : ad eandem quippe virtutem per se infusam, ad quam debet trahere ad se suum bonum, spectat etiam ad trahere ad se oppositum malum, ut constat à n. 8. cum autem peccatum veniale sit malum oppositum bono virtutis, exinde potest virtus remanere ad illius delevionem. Ille autem habitus non datur

set purè delectivus venialium, ex dictis à n. 90. eum possit exercere suum munus primum nullo præsupposito peccato in subiecto. Quapropter habitus purè delectivus venialium esset supervacaneus in hac Providentia; cum in specie cuiuscumque virtutis detur habitus nobilior præstans effectum, quem ille præstaret, cum se extendat ad delenda venialia, & impedienda mortalia.

Propter hanc rationem docent plures cum Arriaga disp. 4. sect. 3. non solum in hac Providentia; verum etiam de potentia absoluta repugnare habitum virtutis purè delectivum venialium, quia tota malitia venialis continetur in mortali, & non è contra: cum autem ille, qui virtuosè fugit venialia, illa fugiat propter eorum inhonestatem, imperceptibile apparet, quomodo honestè se gerat, si curat fugere inhonestatem, quando sit minor, & non curet eam fugere, si sit major. Qualis enim habitus virtuosus esset, qui nollet furari unum obolum, & tamen non curaret furari centum duplones, ubi tota est turpitudine; quæ in furto unius oboli, & alia incomparabiliter major? aut qui nollet penas Purgatorii, & non curaret de penis Inferni, ubi sunt illæ, & alie tantò majores? Qui nollet dolorem levem pati, & non curaret de gravi, aut qui veller satisfacere Deo pro exiguis, & non pro majoribus? Sanè virtus penitentia, etsi non offerat Deo satisfactionem æqualem pro mortalibus, quia non potest, ex se non refugeret æqualem si possit; ac proinde non refugit offerre illam, quæ continetur in sphaera suæ satisfactionis possibilis puræ creaturæ.

Obijcies tamen quinto instando simul solutionem. Non repugnat, imò de facto datur in hac Providentia Sacramentum Penitentia per se primariò tendens ad delenda peccata commissa: ergo non repugnat, imò de facto dabitur in hac Providentia habitus penitentia per se primariò delectivus peccatorum. Retorquetur argum. primò: non repugnat, imò de facto datur in hac Providentia gratia habitualis absque consortio Sacramenti Penitentia: ergo & absque consortio habitus Penitentia. Secundò: non potest dari in hac Providentia Sacramentum Penitentia sine actu penitentis, ergo neque habitus penitentia. Resp. deinde conc. Anteced. & nego Consequ. Ratio est, quia habitus penitentia, sicuti & omnes habitus per se infusi in hac Providentia radicanur in gratia, adeoque sunt per se in Anima, quandocumque est gratia; cumque sint ad exercendum suum munus primum, operando honestè, augendo gratiam, & merendo gloriam; quod per se non requirit, ut anima peccaverit: anima enim non indiget peccato ad operandum honestè augendo gratiam, & merendo gloriam: ea de causa habitus per se infusi non prærequirunt in hac Providentia ad exercendum suum munus primum, quod in eorum subiecto peccatum præcesserit; at verò Sacramentum Penitentia non est comes gratia, neque datur per se ad augen-

dam, sed ad acquirendam gratiam, cum sit Sacramentum mortuorum; eaque de causa est per se delectivum peccati, cum quo gratia non infunditur. Unde munus suum exercet in peccatore, quod habitus per se infusus exercere non possit ex dictis n. 90. cum talis habitus non sit habitus mortuorum, sed vivorum.

## S. II.

Obijcies sexto contra tertiam Assertionem: Si penitentia virtus amplecteretur bona impeditiva peccati, non solum esset delectiva peccati, sed etiam non peccati, quod intenderes fugere per ea bona: sed hoc repugnat ex dictis à num. 161. ergo &c. Probatur Maj. penitentia quæ talis amplecteretur ea bona, non solum ad impediendum peccatum actuale, quod penitens possit committere, sed etiam ad detestandum habituale, quod habet: possit enim talis actus elici à spe, quæ remanet in peccatore; vel si perirerit ad alias virtutes, possit elici ab Omnipotentia loco earum extrinsecè applicata ex dictis num. 97. atqui in eo casu non solum detestaretur peccatum, sed etiam non peccatum: ergo &c. Prob. Min. peccatum habituale contradiustum ab actu non solum dicit peccatum commissum, sed etiam carentiam destructionis moralis illius, quæ non est peccatum: ergo detestando peccatum habituale, detestatur peccatum, & non peccatum. Conf. primò: Penitentia quæ talis dolere potest de peccato remisso; sed peccatum remissum supra peccatum actuale addit Divinam condonationem, quæ non est peccatum: ergo &c. Conf. secundò: Penitentia quæ talis dolere potest de eo, quod non apposuerit impedimentum peccati, ut sic peccatum non commiserit: sed impedimentum peccati non est peccatum: ergo &c.

Resp. nego Maj. ad prob. dist. Maj. Sed etiam ad detestandum habituale secundum totum concretum peccati habitualis, nego; secundum offensam Dei, quæ includitur in illo concreto, conc. Maj. & dist. Min. nego Consequ. Ad prob. dist. Antec. Sed etiam carentiam destructionis tanquam constitutivum offensæ, nego; tanquam constitutivum concreti coalescentis ex offensâ, & carentiâ destructionis, conc. Antecedens, & nego Consequ. ex dictis n. 158. Ad primam Conf. dist. eodem modo Maj. de peccato remisso, secundum adæquatam rationem constitutivam huius concreti peccatum remissum, nego; secundum rationem offensæ Dei, quæ in illo concreto continetur, conc. Maj. & dist. Min. nego Consequ. ut ex eodem numero constat. Ad secundam Confirmationem dist. Maj. de eo, quod non apposuerit impedimentum, prout non apposuisse impedimentum significat apposuisse peccatum, concedo; prout præscindit; aut excludit positionem peccati, nego Maj. & concessâ Min. nego Consequ. quia penitentia non dolere de impedimento peccati, sed potius de peccato, quod est impedimentum sui impedimenti.

Ex quo si benè perpendatur Syllogismus appositus, constat quatuor terminis, nam in majori sunt pœnitentia, & non appositio impedimenti peccati; in minori sunt peccatum, & impedimentum peccati: Cùm autem impedimentum peccati, & non appositio impedimenti sint duo termini contradictoriè distincti; adsunt duo termini in majori, & alii duo in minori, ac proinde & quatuor in syllogismo.

181. Objicies septimò contra 4. Concl. Si unaquæque virtus universalis voluntatis eliceret actum pœnitentiæ ex objecto formali distincto ab aliis virtutibus, unaquæque ex illis esset pœnitentia specialis: atqui unaquæque ex illis non est pœnitentia specialis, sed sola Justitia ex dictis num. 76. ergo &c. Resp. dist. Maj. esset pœnitentia specialis, sumptâ pœnitentiâ speciali pro specie virtutis potentis elicere actum pœnitentiæ, concedo; sumptâ in restrictione Scholastica, nego Maj. & dist. Min. nego Consequ. Ratio est, quia ex eo quòd unaquæque virtus universalis voluntatis possit elicere verum actum pœnitentiæ theologicè sumptum, unaquæque illarum est vera species virtutis potentis elicere actum pœnitentiæ; adeòque in hoc sensu erit pœnitentia specialis. Cæterum in præsentem non agimus de pœnitentia speciali in hoc sensu, sed in restrictione scholastica, ex qua uni virtuti præ aliis nomen hoc quasi per Antonomastiam in scholis tribuitur, ut habet Exim. Doct. disp. V. art. 1. num. 1. Hujus autem restrictionis sensum accipere debent Theologi à theologia principibus, uti nos accipimus à D. Thom. num. 76. illiusquè commentariis cum Exim. Doct. nec licet unicuique pro cerebro suo illam confingere, sicuti restrictionem rationalis philosophicè sumpti sumimus à principibus Philosophiæ ex dictis n. 65.

182. Objicies 8. contra quintam Conclusionem. Virtus specialis pœnitentiæ talis est ex objecto formali, ut possit veros pœnitentiæ actus elicere circa peccata remissa; atqui si haberet pro objecto formali honestatem compensativam Divini juris, non posset circa peccata remissa elicere verum actum pœnitentiæ: ergo &c. Maj. pater, quia peccata remissa sunt materia sufficiens Sacramento pœnitentiæ ex num. 54. Min. verò prob. Ea pœnitentiæ virtus non potest talem actum elicere in peccatore, cùm in illo non maneat; deinde neque in justo, cùm in illo offensa sit jam remissa, & condonata: ergo &c. Confirmatur. Justitia non potest suum actum exercere, nisi quando datur Jus exigens satisfactionem: etenim si debeo quatuor Petro, postquam illa quatuor ei restitui, vel postquam ipse condonavit, & juri suo cessit, jam non possum ex justitia solvere, licet possim ex gratitudine, aut alio simili titulo: atqui virtus, quæ habet pro objecto formali compensationem divini juris est justitia, ut constat à num. 76. ergo quando offensa est condonata, jam non possum compensare ex justitia, licet possim ex gratitudine,

ac proinde in justo, in quo est offensa condonata, non potest justitia verum actum pœnitentiæ elicere.

Respond. conc. Maj. & nego Min. Ad probationem nego secundam partem Antec. Ratio est, quia ut specialis pœnitentia virtus eliciat in justo verum pœnitentiæ actum, solum requiritur, quòd eliciat actum doloris deservati peccatorum, quæ commissa, & condonata fuerint cum proposito non peccandi de cætero, & quòd talis actus ex motivo compensationis divini juris procedat, non quidem ad compensationem reparativè divinum jus efficaciter, & effectivè, cùm in justo jam sit ita compensatum: reparativa enim compensatio, quæ fit per actum justitiæ, solum dicitur pertinere ad justitiam, quatenus habet objectum formale justitiæ; effectivè verò procedit, vel ab auxiliis divinæ gratiæ, vel ab omnipotentia extrinsecè applicata, ut diximus n. 94. In justo autem solum requiritur actus compensationis præservativæ, qui non effectivè, sed affectivè solum est reparativus: cùm autem justus ex eo, quòd offensam contra Deum commiserit, & reus factus fuerit compensationis, pro tali offensa verè possit deservativè dolere de tali offensa, quam commisit, & quòd reus factus fuerit eam compensandi Deo, ut constat ex num. 53. & 54. quòd quidem est motivum justitiæ inter Deum & homines intercedentis; exinde potest concipere in actu pœnitentiæ ex motivo justitiæ formalitates doloris, & deservationis. Insuper propositum non peccandi de cætero elici etiam potest ex motivo compensandi in posterum jus divinum, sicuti præservativè: unde quidquid ad actum veræ pœnitentiæ in justo requiritur, manifestè procedit tunc ex motivo justitiæ.

Quod adhuc evenire potest in humanis; Petrus enim, qui furatus est centum à Francisco, & sic contra justitiam peccavit, licet à Francisco condonet furtum, potest verè deservativè dolere de eo, quòd furtum commiserit, & justitiam violaverit, sive reus factus fuerit compensationis juris Francisci ab ipso Petro læsi, proponendo ex motivo justitiæ nunquam jus illud habere in posterum, sive non se facere reum iterum talis compensationis; qui quidem actus, etiam sit reparativa solutio efficax effectivè, cum jam offensa sit omninò soluta, ut supponimus, est formaliter efficax affectivè, & formaliter impossibilis cum læsione effectiva talis juris in posterum, quòd ad nullam aliam virtutem pertinet, nisi ad justitiam. Hinc ad Confirmationem. distin. Maj. non possum reparativè ex justitia solvere efficaciter effectivè, conc. affectivè, sive efficaciter præservativè, nego Maj. & dist. Min. nego Consequentiã quia ut illa actus esset gratitudinis, debebat procedere ex motivo beneficii accepti, non quidem ex motivo compensativæ honestatis juris, sicuti procederet actus iste, de quo loquimur.

Objicies nono; mitando simul solutionem.

Si autem

Si actus pœnitentiæ compensationis reparati-  
væ in peccatore, & pœservatiæ compen-  
sationis in justo, eod quod ex tali motivo proce-  
deret, esset actus justitiæ; actus justitiæ quæ  
ratis esset theologicus: sed hoc est falsum ex  
dictis: ergo &c. Probatur Maj. ex motivo  
compensationis reparatiæ potest peccator vel-  
le suscipere Sacramentum pœnitentiæ, quare-  
ntis reparatiæ compensativum juris divini læ-  
si per offensam, & justus Sacramentum Evcha-  
ristiæ, & alia Sacramenta, quatenus sunt  
pœservatiæ compensativa: sed tales actus es-  
sent theologici, utpote attingentes divinitatem,  
vel hypostaticè unitam cum corpore, &  
Sanguine Christi in Evcharistia, ut in eo tract.  
diximus cum Trid. num. 39. vel moraliter  
cum actionibus Christi meritoriis, ex quibus  
habent impetrationis valorem omnia Sacra-  
menta: ergo &c.

486. Resp. nego Maj. ad probationem dist. Maj.  
velle suscipere Sacramentum, ut Deo bo-  
num, nego; ut bonum justo, aut peccatori  
pœnitenti, conc. & distinct. Min. nego Con-  
sequentiã. Ratio est, quia volens Sacramen-  
ta, ut pœnitenti bona, non habet pro objecto  
formali ultimato aliquid divinum, ac proinde  
de talis volitio non est actus virtutis Theologi-  
cæ; ex dictis à numer. 95. Imò Sacramenta  
aut pœnitenti bona mensurantur ad mensuram  
valoris, qui juxta Christi institutionem pœ-  
nitenti applicatur: Cum autem ista applica-  
tio non sit simpliciter infinita, adeoque neque  
sit prædicatum divinum, actus pœnitentiæ  
specialis nunquam respicit in Sacramentis pro  
objecto suo formali prædicatum divinum.  
Quod autem illud prædicatum divinum sit  
obliquum illius objecti formalis, non sufficit  
ad specificandum actum Theologicum; ut  
constat ex numer. 98. Sacramenta verò for-  
maliter, & constitutive sumpta dicunt rem-  
issuram, & institutionem, quæ non sunt  
aliquid divinum; etsi per unionem Physi-  
cã, aut moralem afferant divinitatem. Si-

cuti res prohibita non est prohibitio, neque  
res præcepta est præceptum, ut constat ex n.  
41. & 56. Exinde

487. Fit primò: Virtutem pœnitentiæ non de-  
nominari pœnitentiã nisi per verum actum  
pœnitentiæ; sicuti intellectus non denomi-  
natur intelligens, nisi per verum actum intel-  
lectionis. Unde sicut virtus ad intelligendum  
non est sufficiens, ut homo præcisè per illam  
denominetur intelligens; ita virtus elicitiva a-  
ctus pœnitentiæ non est sufficiens; ut homo  
præcisè per illam denominetur pœnitens. Qua-  
propter virtus illa in Christo, Deipara, & In-  
nocentibus, cum non posset elicere actum do-  
loris de peccato commisso, neque erat, neque  
denominabatur pœnitentiã; adeoque non de-  
nominabatur pœnitentem voluntatem, cui in-  
erat, ut sequenti disputatione dicemus: deno-  
minabat autem secundum rationem absolutam  
virtutis, quam participabat, sive charitatis, si-  
ve justitiæ &c. Ratio est, quia ista denomi-  
natio habetur ex objecto formali, quod ex in-  
trinsecis suis respicit unamquamque virtus; ita ut  
absque tali objecto formali exerceri non valeat,  
ut charitas, quæ exerceri non potest, nisi ex  
objecto formali bonitatis divini; idemque suo  
modo de aliis, licet possit ex suo primario mu-  
nere exerceri, quin eliciat actum dolentem de  
peccato, adeoque quin sit pœnitentiã; ea quip-  
pè virtus à tali actu denominatur pœnitentiã,  
ut ex dictis constat. Imò si fugiat pœnitentiã, non  
quidem ut debitam propter culpam commis-  
sam, sed propter purum reatum pœnæ; non  
exinde denominabitur pœnitentiã, ut constat  
ex num.

Fit secundò: quod si Deus in alia Providen-  
tia ad compensationem peccati destinasset non  
quidem dolorem; sed alia objecta distincta,  
adhuc posset virtus justitiæ propter honesta-  
tem compensationis ea objecta amplecti,  
ab eorumque amplexione denominari  
pœnitentiã.

\* \* \*

## DISPUTATIO IV.

### DE EFFICACIA, SUBJECTO, ET PRAXI PœNITENTIÆ.

488. CERTUM est, nullum peccatum etiam post  
Baptismum commissum posse esse ita gra-  
ve, ut super & infinitam Dei misericordiam cum  
hac major sit gravitate, & numero quorum-  
cumque peccatorum, quæ de causa ut Blasphemia  
reputatur illa Caini verba Gen. 4. *Maj-  
or est iniquitas mea, quam ut veniam merear.*  
Cæterum ut refert Author de vera, & falsa pœ-  
nitentiã apud Aug. tom. 4. cap. 5. non defue-  
runt Hæretici, qui dicerent, in hac divina Provi-  
dentia non esse omnia peccata remissibilia,  
saltem ea, quæ post Baptismum ritè susceptum  
*R. P. Gorman's Theolog. Tom. II.*

committuntur. Qui quidem error tribui solet  
Novato. Alii dixerunt aliqua peccata esse remis-  
sibilia, non verò omnia, idque solum semel post  
Baptismum, qui quidem error attribui solet No-  
varianis, sive Novati discipulis. Eorum funda-  
menta nituntur variis scripturæ, & SS. DD. tes-  
timoniis in pravum sensum detortis, ex quibus  
inferebant, neque pœnitentiã perfectam chari-  
tate formatam extra Sacramentum, neque ar-  
titionem unã cum Sacramento sufficientem  
esse ad ea peccata delenda: ac proinde dicebant,  
frustra homines agere pro illis peccatis pœ-  
nitentiæ

H h h h

nitentiæ